







Indice

28. Por la Religion de la Merced con la de la Sma. Trinidad sre. redencion de Cautivos.

29. Contestacion al anterior.

30. Bula de Urbano VIII en favor de los Dominicos.

31. Carta sre. la entrada en la Compa. de Jesus de el Principe Casimiro

32. Sre. privilegios de los Regulares

33. Por el Fiscal de S. M. contra D. Cristobal Velazquez Religioso de S. Agustin.

34. Sobre la profesion del P. F. Pedro Tello.

35. Por la Religion de S. Juan con el Arzobispo de Granada sre. privilegios.

36. Observacion sre. el negocio de D. Pedro Paren Alenge Cartuxo.

37. Por Da. Aldonza de la Cerda con Da. Leonor de la Cerda sre. el vinculo de Gonzalo Suarez.




Tomo primero.

✠

VRBANVS PAPA OCTAVVS.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.





ALIAS à nobis emanarunt in simili forma Breuis litteræ tenoris sequentis, videlicet à tergo. Dilecto filio Priori Generali Fratrũ Eremitarũ sancti Augustini. Intus verò.

VRBANVS Papa Octauus. Dilectè fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti de anno proximè præterito millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Dominica tertia post festũ Paschatis Resurrectionis Dominicæ Capitulũ Prouinciale Prouinciæ Bethicæ, Ordinis Fratrum Eremitarũ sancti Augustini celebratum, in eoque dilectus filius Franciscus Termiñon, dicti Ordinis Professor in eiusdem Prouinciæ Priorẽ Prouincialẽ electus, cæterisq; alijs fieri solitis in Capitulis Prouincialibus Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi prouisum respectiuè fuerit, & subindè venerabilis frater Cæsar Archiepiscopus Damiatensis, tunc noster, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncius electionẽ de persona dicti Frãcisci in Priorem Prouincialem huiusmodi, necnon omnia, & singula alia in dicto Capitulo Prouinciali acta, & gesta nulla, & inualida declarauerit, mandaueritq; vt de nouo Capitulum Prouinciale dictæ Prouinciæ celebrari deberet, prout illud de mense Octobris eiusdem anni celebratum, & in eiusdem Prouinciæ Priorem Prouincialem dilectus filius Franciscus Nuño, etiam dicti Ordinis Professor electus, ac de nouo omnes aliæ Prouisiones in eisdem Capitulis Prouincialibus fieri solitæ factæ fuerunt respectiuè, postmodum verò in alma Vrbe nostra coram te dilecti filij Procuratores vtriusque Francisci Prouincialis huiusmodi, & consortum comparuerint, necnon primò dictorum Capituli Prouincialis, & Francisci Prioris Prouincialis Procurator, pro validitate eiusdem primò dicti Capituli Prouincialis, multa iura deduxerit; opposueritque, quòd etiam quandò primò dictum Prouinciale Capitulum, non fuisset validè, & legitimè celebratum, electio primò dicti Francisci, in Priorem Prouincialem huiusmodi, ad te deuoluta erat: & insuper, quòd in secundò dicto Capitulò Prouinciali dictæ Prouinciæ, multi defectus, & nullitates interuenerant: quia multis in rebus, sacrorum Canonum, necnon Apostolicarum, ac ipsius Or-

dinis Apostolica authoritate confirmatarum, constitutionum, dispositioni contrauentum fuerat: propteràque tu auditis pluries ipsis partibus, earumque iuribus, & rationibus maturè discussis, iudicaueris, secundò dictum Capitulum Prouinciale, nullum, & invalidum, nulliterque, & invalidè celebratum fuisse: negotiumque huiusmodi, cum eodem Cæsare Archiepiscopo, & tunc Nuncio prædicto, communicaueris. Nobis propterea, de eiusdem Cæsaris Archiepiscopi participatione, & consensu, humiliter supplicari fecisti, vt, quia dicta Prouincia Bethica, in duas partialitates, vnam nempè, quam Prouinciæ, aliam verò, quam Hispalensem, & de Estremadura, vocant, diuisa existit: inter quas, pro pace communi, aliàs deuentum fuit ad diuersas conuentiones, præsertim quoad alternatiuam Prouincialatus huiusmodi, à nobis per quasdam in simili forma Breuis litteras confirmatas; pro conseruatione pacis, & quietis, ambarum partialitatum huiusmodi, ac pro tollendis dissensionibus, & difficultatibus, quæ circa electiones, & alia acta Capitularia dictorum duorum Capitulorum Prouincialium, esse, & oriri, possunt, ac aliàs, vt dictæ partialitates vnitæ conseruentur; prædicta duo Capitula Prouincialia, ac omnes, & singulas electiones, & alia acta inibi secuta, annullare, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Prouinciæ prospero, fœlicique regimini, pro nostri Pastoralis officij debito, prospicere, teque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis ocasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, husmodi supplicationibus inclinati, de voto venerabilis Fratris Lelij Archiepiscopi Thebarum, ac dilectorum filiorum Magistrorum, Marci Aurelij Maraldi, & Francisci Paulitij in vtraque signatura nostra referendariorũ, & Romanæ curiæ Prælatorum, tibi, vt, dicta duo Capitula Prouincialia, ac in eis sequuta quæcumque, electiones, & alia acta, anullare, necnon, vt absque alia Capituli Prouincialis huiusmodi celebratione Priorem Prouincialem, qui sit ex dicta partialitate Prouinciæ nuncupata, ad quam in vim alternatiuæ, & litterarum Apostolicarum desuper expeditarum Prioratus Prouincialis huiusmodi spectabat, quandò dicta duo Capitula Prouincialia celebrata fuerunt, & insuper nouos Diffinitores, & Visitatores dictæ Prouinciæ, quorum omnium officia, post litterarum tuarum desuper expediendarum publicationem incipere, & vsque ad Dominicam tertiam post festum Paschatis Resurrectionis Dominicę futuri anni millesimi sexcẽtesimi quadragesimi sexti durare debeant, cum omnibus, & singulis facultatibus, authoritatibus, & iurisdictionibus, quibus Priores Prouin-

uinciales, Diffinitores, & Visitatores dictæ Prouinciæ in illius Capitulis Prouincialibus electi gaudere solent, ac cum expressa declaratione, quod per tempus, quo (vt præfertur) durare debent Prior Prouincialis, & alij Officiales prædicti, turnus alternatiuæ ad Prouincialatum huiusmodi pro hac vice dictæ partialitati Prouinciæ competens consumatur, ita vt transacto tẽpore huiusmodi, & non priùs, Prouincialatus huiusmodi ad aliã partialitatem, iuxta eandem alternatiuam, spectet, & pertineat, authoritate nostra constituere, & deputare, & quoad Priores locales, aliosque officiales, in Capitulis Prouincialibus, à toto Diffinitorio, eligi solitos, necnon etiam quoad omnia alia, quæ in eisdem Prouincialibus Capitulis fieri consueuerunt, prout tibi expedire videbitur, & aliàs pro beneficio, pace, & quiete eiusdem Prouinciæ, disponere, & ordinare, liberè, & licitè possis, & valeas, eadem authoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur; decernentes, præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, tibique plenissimè suffragari, & quidquid illarum vigore, à te gestum, actum, & ordinatum fuerit, ab omnibus Prouinciæ prædictæ fratribus, & alijs, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari: sicque in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si quid secus, super his, à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocircà dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in eisdem Regnis Hispaniarum Nuncio, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quandò opus fuerit, & quoties pro parte tua fuerit requisitus, solemniter publicãs, tibique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat authoritate nostra præsentes nostras litteras ab omnibus obseruari, debitæque executioni demandari: contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque, super his, habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi, etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter,

& expresse derogamus: cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die quinta Decembris 1642. Pontificatus nostri anno vigesimo. Cum autem in vim, & exequutionem præinsertarum nostrarum litterarum Idem Prior generalis per multa in præmissis prouide, & opportunè ordinauerit, dum verò de illorum exequutione coram dilecto filio nostro Ioanne Iacobo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinale Panzirolo nuncupato in eisdem Regnis nostro, & Sedis Apostolicæ Nuntio tractaretur, nonnulli dicti Ordinis, & Prouinciæ prædictæ professores, & præsertim secundò dictus Franciscus desuper protestati fuerint, & ad nos, & eandem Sedem appellauerint, recursumq; habuerint, & pro ipso secundò dicto Francisco, illiq; adhærentibus, seu consortibus comparentes coram nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis, quos ad negotium huiusmodi discutiendum, nobisque referendum deputauimus, allegauerunt inter alia ipsum secundò dictum Franciscum, illique adhærentes, seu consortes nedum ab eodem Ioanne Iacobo Cardinale Nuntio, & dicto Priore generali grauatos; sed etiam præinsertas nostras litteras huiusmodi subreptitiè obtentas fuisse. Nobis propterea idem Prior, & dilectus filius Procurator generales Ordinis huiusmodi humiliter supplicari fecerunt, vt tot, & tanta contradictiones, & dissidia in prædicta Prouincia occasione præmissorum exorta semouere, ac aliàs, vt infra opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Priorem, & Procuratorem generales huiusmodi specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & aquibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorundem Prælatorum; qui super præmissis, ac omnibus alijs allegationibus, exceptionibus, oppositionibus, respōsionibus, & replicationibus tàm oretenus, quàm in scriptis hinc indè etiam in pluribus contradictorijs deductis, & per Prælatos pluries auditis, & maturè discussis, nec non etiam super eo, quod dilectus filius noster Cæsar tituli sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Fachenettus nuncupatus, tunc etiam in eisdem Regnis noster, & dictæ Sedis Nuntius consensum reuocationi, & annullationi actorum & gestorum in prædicto eiusdem Prouinciæ secundò Capitulo Prouinciali minimè præstiterat, nobis opportunè retulerunt, & quorum relata audiuimus, consilio; Eidem Francisco secundò dicto, illique adhærentibus, seu consortibus quibusvis dicti Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi professoribus, in

& su-

& super prædictis protestationibus, appellationibus, recursibus, contradictionibus, oppositionibus, illorumque prosequutionibus, nomine eiusdem secundò dicti Francisci, illique adhærentium, seu consortium etiam in Romana Curia prædicta quomodolibet interpositis, datis, & factis respectiue, perpetuum Apostolica authoritate tenore præsentium, silentium imponimus, nec non eidem Ioanni Iacobo Cardinali, seu pro tempore existenti in eisdem Regnis nostro, & dictæ Sedis Nũtio, seu eius vices, aut iurisdictionem quomodolibet exercenti, per easdem præsentes committimus, & mandamus, vt ad vlteriorem, & finalem præinsertarum nostrarum litterarum, & illarum vigore per eundem Priorem generalem gestorum, & ordinatorum exequutionem, præfatis protestationibus, & appellationibus, ac quibusvis alijs forsan interpositis, vel interponendis, ac contradictionibus factis, vel faciendis pœnitus, & omninò remotis, authoritate nostra procedat, procediq; mandet, & faciat. Iniungentes propterea, ac districtè præcipiendo mandantes ipsi secundò dicto Francisco, alijsq; dicti Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi Fratribus illi adhærentibus, seu consortibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis perpetuæ, tam omnium, & singulorum dicti Ordinis officiorum munerumque Ecclesiasticorum, nec non etiam perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam etiam vocis actiuæ, & passiuæ, ac excommunicationis maioris pœnis eo ipso absque vlla alia declaratione per contrafacientes incurrendis, nisi infra quindecim dies à die sibi faciendæ præsentium intimationis cum copiæ illarum traditione incohandos, & vt sequitur finiendos, eisdem præsentibus, & in eis contentis quibuscumque realiter, & cum effectu paruerint, vt præfato perpetuo, quod per easdem præsentibus imponimus, vt præfertur silentio, acquiescere, illiq; ac illis, ac eidem Ioanni Iacobo Cardinali, seu pro tempore existenti Nuntio huiusmodi, seu illius vices, vel iurisdictionem, vt præmittitur, exercenti, ad præinsertarum, & præsentium nostrarum litterarum executionem procedenti parere, & obedire debeant cum effectu, ac decernentes easdem præsentes litteras, ac in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque forsan in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, vel causæ propter quas illæ emanarint, adductæ, vel verificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, redargui, in ius, vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas, quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, &

obti-

obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere legatos, & dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem preinsertis litteris volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xviij. Februarij M. DC. XXXXIV. Pontificatus nostri anno vigesimo primo.

Loco ✠ annuli Piscatoris. M. A. Maraldus.